



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 37. in sacrilegos communicantes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

que & vitam suam sepelit. ô quot animas velut philomelas auceps stygius demētat & illaqueat scrobiculum fabricando, qualem Angelus olim Augustino mysterium sanctissimæ Triados meditati in maris litore fodisse legitur, in quo fallaciæ laqueum occulit, inque manifestum salutis periculum inducit. Simiæ cum suspicacissimæ sint, non in terra, sed altissimarum arborum ramis somnum capiunt. observant venatores arborem, atque ad splendorem lunæ eò se conferunt, finguntque se quietem simiarum nescire. proferunt itaque multa ocrearum paria, omnes visco illitas, excepto pari unico, quod venator induit, visco etiam illinit, relinquit infra arborem, & sub vicinum dumetum se recondit; quo discedente descendunt, mox simiæ imitantur, & in ocreis servitutum atque exitium induunt. O si multi non ultra crepidam & verum saperent! liberiori sanè pede viam vitæ tererent, puriorique oculo suæ prospicerent salutem. Laudanda Locrensium lex inquit Plutarchus, quæ si quis peregrè reversus rogasset, num quid novi? eum multâ afficiebat, mul-

tis sanè dignus multâ est curiosus; tum quia otiositatem ut plurimum sectatur, quæ multam docuit malitiam, tum quia se ceterosque inquietat, & in noxios inducit errores. verissimè Plautus: *curiosus nemo est, qui non sit male-volus*, grave curiositas est vitium, inquit Magnus Gregorius, fortè ideo, quia teste Augustino curiositas hæresin invenit, & innumeras in terrarum orbem induxit calamitates. Notus est mihi quidam, ait Artemidorus lib. 2. onirocrit. c. 28. qui visus est sibi tres oculos habere, & cæcus factus est, nihil vident, qui nimis multum vident, eò quisque in arcanis fidei cecior, quò oculatior existit. bene videt, qui credit, quod non videt; bene sapit, qui tria & unum numerare non novit; bene servat omnia, qui simplicissimâ pietate credit, amat, observat Deum ingenitum, Filium unigenitum, Spiritum Paraclitum, in cuius nomine ite & servare omnia discite, quæ dixi vobis.

* * *
* * *
* * *



PHILIPPICA XXXVII.

In Sacrilegos communicantes.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Nemo virorum gustabit cœnam meam. Luc. 14. v. 24.

S. I.
Non manducat Eucharistiâ, qui manducat indignè.



Manducare sibi multi videntur cœnam Eucharisticam, sed nè gustant quidem, frangant licet dentibus

hostiam, deglutiant, digerant, & hoc quot mensibus, imò hebdomadis semel, iterum, tertio, nondum tamen manducârunt, gustârunt, nunquam panem vitæ, medicamen-

mentum salutis, passum voluptatis. Non sine mysterio incarnata dixit Sapia: *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in eo*, non addendo: qui manducat dignè, qui bibit dignè. quamvis enim indignus & impiator scelerum conscius accedat, & manducantis speciem præ se ferat, nihilominus Dominicam carnem nequaquam manducat, quia Jejunus & expers fructus sacramentalis recedit. *Ecce omnes indifferenter quam sæpe sacramenta altaris percipiunt* (verba sūt Divi Paschasij) *percipiunt planè, sed alius spiritualiter carnem Christi manducat & sanguinem bibit, alius vero non, quamvis buccellam de manu Sacerdotis videatur percipere.* Controversum inter Doctores est, utrum in coenaculo Judas Eucharistiam sumpserit? negant cum Augustino & Hilario plurimi, affirmant alij cum Divo Leone & Cyrillo. Cur quæso tanti patres, in quibus unus erat Spiritus pacis & veritatis, à se dissentiant? respondet Algerus Abbas, cum Judas indignè manducaret, dici ex vero posse, absolute non manducasse: *jejunus enim à cena discessit, quia non manebat in Christo, nec Christus in illo.* O quot hodieque ad Epulum Eucharisticum sacrilegi Judæ accedunt, & jejuni à gratia recedunt, contra quos dictum à Christo accipio: *nemo virorum istorum, nec hic cenā bonæ gratiæ, nec ibi æternæ gloriæ gustabit.* Contra sacrilegos itaque hos epulones utinam mihi & sententiarum fulmina, & lachrymarum flumina decurrant, ut quos flectere non possum lachrymis, frangam sententijs.

Si quis ex me scire velir, quod ex peccatis omnino omnibus sit horribilissimum, huic indubitate respondeo, sacrilegā esse communionem, quæ non modò Deicidio

conferri potest, sed anteponi debet, cum sit crudelissima passionis cruciatæ renovatio. Ex omnibus sceleribus Judæ gravissimū hoc fuit, quod amicum se simulans dulces cum Iesu comederet cibos, magnificaret nihilominus supplantationē, plantas videlicet magnis conatibus elevando ad conterendum suum hospitem seu Meccenatem. audiamus Ambrosium 3. offic. 16. *in ipso proditore hoc Christus Dominus gratissimum invenit, quod gratiæ vicem non præstaverit, & convivij amicitia venenum malitiæ miscuerit.* Fuerit Judas fur, murmuro, parricida, nequam in pelle, at hæc omnia peccata non superant sacrilegam Eucharistiæ sumptionem, quā venenum malitiæ convivio amoris commiscuit. Judā sceleratior est, qui non vice simplice, sed decies & centies & millies immortalem hominem Deum indignè suscipit, susceptum dæmonibus venditum tradit. Audi peccator & contemisce, cum os ad sumendam Eucharistiam aperis, osculo Filium hominis denuò tradis; cum dentes comprimis, captivas; cum deglutis, per torrentem Cedron raptas; cum linguam stringis, alapā cædis; cum oculos emissitios spargis, oculos illi obvelas; flagellas & coronas peccatis sacrilego silentio celatis, illa enim cum spinæ & flagella sint, ut tua testatur conscientia, quæ pungi & flagellari se sentit, ipsis hiscè flagris & spinis non modò caput, sed totum Iesu corpus circumdas; tu illum ad mortem & foetidissimum condemnas sepulchrum, cum in graviolentem, & fortè non jejunum stomachum immittis; anima tua mortalibus affecta sceleribus, dirissima crux est, cui Iesus affigatur; quot in anima tua sunt peccata operum, tot clavis configis, quot verò verborum,

renovatio totius passionis.

Bb 2

tot

Joann. 6. v. 57.

3. Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini. 6. 1.

Algerus Abbas lib. 1. de sacra. 6. 21.

§. 2. Sacrilega communicatio est peccatorum maximum, quia est.

tot blasphemantes carnifices immittis; quot cogitationum, totidem lanceas in cor IESU vibras. Hoc hoc est, quod Paulus queritur, crucifigere denuo in semetipso Filium Dei, seque reum facere corporis & sanguinis Domini. Nec jam IESUS clamat: *Pater ignosce*, sed: *vindica sanguinem nostrum*. non auditur: *hodie mecum eris in paradiso*, sed: *hodie finè me eris in inferno*.

§. 3.
Tam grave peccatum est sacrilegè communicare, quàm Christum cadere a lapà.

Magna quis neget fuit servi illius, Malchum Chrysofomus vocat, impudentia, qui in tenerimam Salvatoris faciem ferreâ manu favire & tanto impetu alapam impingere ausus est, ut contremuerint cœli (Sanctum Ephremum de passione recito) inhorruerint fundamenta orbis terrarum, Angeli & Archangeli obstupuerint, Michaël & Gabriel vultum suum contexerint, Seraphini in se mutuo alas concusserint, quando ille impietatis & tenebrarum minister alapam dedit Domino Majestatis & gloriæ. audeo nihilominus dicere, par, si non amplius esse peccatum cum conscientia lethiferæ noxæ nondum expiata rea ad Dominicam mensam accedere, quàm Regi sæculorum validissimam alapam infringere, ut hoc dicere audeam, incitat me visio horribilis, quam recitat Baronius ad annum Christi 513. Monachus quidam Isidorus in Insula Cypro continuo mœrore, gemitibus, lachrymis perfusus, causam sui luctus edixit, quod biduo ante Æthiopem sibi assistentem, conspexerit, audieritque dicentem: ego & tu ad unum eundemque tormentorum locum sumus condemnati. Et quis es tu? quærit Monachus; cui umbra: ego sum qui conditorem omnium in maxilla percussisti passionis tempore, tu verò sacrosanctam nuper hostiam in cloacam

abjecisti. projecerat enim verò Isidorus ante annos plurimos, cum adhuc Severianum dogma sectaretur, sacram hostiam ex faucibus uxoris suæ, quæ orthodoxo ritu communicarat, extortam in sterquilinum, jamque lustris aliquot monachum induerat, nec tamen sacrilego pro facinore poenas dederat sufficientes. Turpius abjicitur Eucharisticus Deus in animam peccatis mortiferis contaminatam, quàm in turpissimam totius mundi cloacam; mallet ille in hac ad novissimum mundi diem, quàm in anima vestra vel momento commorari, nec abjicitur tantum sed sacrilegâ lingvâ prius cæditur, scelerato ore conspuitur, rebellâ corde conculcatur. Nemo nisi demens unio-nem, adamantem, carbunculum in cloacam abjicit, nemo conculcat & annullat, at verò sacrilegus peccator nihil pensi habet Margaritam illam immensi pretij, adamantem cœlo terraque cariorem, carbunculum Patris æterni unicum, in cordis sui sentinam abjicere & sputo quovis execrabilius exterminare.

Adeste quotquot ad fontes aquarum repitis, adeste serpentes, & prudentiam docete eos, qui cum veneno malitiæ ad fontem salutis accedunt; num & vos nativo cum veneno undas subitis? minimè. non enim conduceret haustus salutis, sed certum afferret exitium. *Serpentes cum venerint ad bibendum*, inquit Sanctus Ambrosius in c. 10. Matth. *priusquam bibant, ante fontem evomunt venenum suum, & postea bibunt*, cur venenum prius expuunt? quia si frigus aquæ naturali veneno misceretur, in partes serpentem rumpere. *estote prudentes sicut serpentes*, venenum ponite hausturi ex fonte aquæ salientis in vitam æternam, nè sicut adulteræ quondam

§. 4.
Sacrilegè communicantes serpentibus imprudentiores sūt, ideoque cum Juda crepant.

dam ex aqua zelotypiæ haurientes, in partes diffiliatis. Primus intoxicatus serpens, qui ex fonte salutis veneno non posito bibit, Judas fuit, & nunquid *crepuit medius?* ejusdem cum Juda sceleris complices sunt rei videlicet corporis & sanguinis Domini, quotquot purissimum illud corpus impurâ mente fuscipiunt, fuscipiendo produnt, & non jam Judæis sed dæmonibus, vendunt; quid ergo expectent aliud, quàm latæ sententiæ executionem Matth. 24. v. 51. *dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis, illic erit stetus & stridor dentium.* dividet corpus ab anima tradendo animam dæmonibus, corpus vermibus, dividet sacrosanctam hostiam impiè sumptam à sumentis corpore, dividet peccatorem à Sanctorum communione, dividet infelicem animam à Dei visione. *Dividet,* ait Sanctus Hieronymus, *non quòd gladio illum dissecet, sed quòd à Sanctorum consortio illum separet.* Parati sunt cum gladijs ancipitibus Angeli, nec duodecim solùm legiones sed duodecim legionum milliones, de quibus Paschasius c. 8. *certus sis quia ultores Angeli nec semel indignè comunicanti parceret, nisi bonitas Christi gladium suspenderet & removeret momentaneam mortem.* imò non dividet ab anima corpus. sed hoc cum illa ante diem novissimum gehennæ addicet. Pauci anni sunt, cum in Hispania celebris Jurista obiit, inque sepulchrum illatus fuit, dilatâ in diem sequentem funebri concione, à concionatore quodam Seraphicæ familiæ dicendâ; hic dum intempestâ nocte bibliothecam, sese ad funebrem panegyrtin præparaturus, adit, in alto illo noctis silentio tubam horrificam audit, & aperto mox ostio videt ignotos severi supercilij tres judices ingredi, ad mensam confidere & ad-

stantibus ministris imperare: adducite animam sepulti Juristæ, adest illa momento inter chorum atrocium æthiopum & inter flammam cum magna catenarum concussione & ferali buccinæ clangore. Facto dein silentio enarrata sunt gravissima scelerata, inter quæ princeps fuit sacrilega sæpius iterata communio, ob quod potissimum lata est sententia, ut unâ cum corpore in gehennam deturbaretur. At replicat Judicum unus, quomodo corpus in barathrum præcipitabitur cujus palato sacrosancta hostia inhæret integra? hic sacerdos, reponit Judicum alter, impedimentum tollet. Protrahitur ex angulo, in quem præ timore sese receperat Sacerdos, & templum sinè mora metûque adire ac hostiam eximere jubetur, prælucentibus magna cum reverentia Ephœbis & fores cum sacrarij, tum tabernaculi aperientibus; ad sepulchrum ubi deventum, hoc sese ultrò nec absque fragore aperuit, & corpus scelerati juristæ protrusit, ex quo dum Sacerdos hostiam accipit, atque in tabernaculum defert, ecce ingens de cælo fragor & horrendum mugientia tonitrua, & atris nubibus prorumpentia fulgura & imminetia templo fulmina exaudiebantur! ex quibus illapsum unum sepulchro, sacrilegum corpus in ima tartari ad consortium Judæ deturbavit. Hæc erat Catastrophe infelicissimi Juristæ, quam cum die posterâ enarraret Ecclesiastes & utramque tempestatis causam proferret, quid putamus horroris, stuporis, destationis Auditoribus incussum fuisse: maledixerint omnes singulique, & huic & ceteris omnibus sacrilegis epulonibus, Judæ affeclis, tortoribus & crucifixoribus Eucharistici Iesu.

Indignè communicare grandius peccatum est, quàm sanguinem

S. 5.
Iesu san-

nem

B b 3

guinem
proculcat
qui indigne
com-
municat.

nem Christi effundere, quod ita probatum invenio à Theophylacto in I. Cor. II. qui quondam pupugerunt Christum (puta, in flagellatione, coronatione, crucifixione, transfossione) sanguinem ejus, non ut biberent, effuderunt, verum, qui indignè sumit, bibit ut profundat, profundit ut bibat. Moris erat apud græcos veteres, ut hospes convivis suis in fine epularum calicem propinaret, quem philotesium vel philothelem, seu extremum amicitiae appellabant, in illum enim aliquot guttas sanguinis de sinistro brachio elicitim immittebat, vinoque commixtum in signum summi amoris propinabat. Quod si quis amicorum calicem illum vel non bibisset, vel delibatum expuisset, imò abjecisset in terram, consputasset, conculcasset, vel venenum immiscuisset, an non is meritò omnium pugnis contundendus, imò pedibus proterendus, & non tantum amicorum expungi numerò dignus, sed in syllabum capitalium hostium primo referendus loco? calicem nobis propinavit in fine cœnæ vitæque suæ amicissimus Iesus; verè *amicitiæ extremum: cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*, atque in hunc calicem immisit sanguinem ex vena cordis sui, imò ex venis omnino omnibus, totumque vinum convertit in sanguinem; éstne aliquis qui calicem hunc amoris, calicem sanguinis, calicem salutis abjicere, conculcare, intoxicare ausit? heu sunt absque numero plurimi, qui potum amoris convertunt in venenum furoris, potum salutis in cicutam mortis, potum divini sanguinis in fel aspidis, qui scilicet sibi iudicium manducant & bibunt, quia indignè accedunt sacrosancti sanguinis prodigi, injurii Divino corpori, ingrati immensæ charitati, perfidi amabili cordi. Certè si fie-

Joan. 13.
v. 1.

ri posset, ut in lingua, in faucibus, in ventre sacrilegi convivæ cor divinum sudaret denuo sanguinem, angustiaretur ad mortem, disrumperetur in partes, certo certius ad tam atrox scelus angustiaretur, sudaret, dissiliret. Ad homicidæ præsentiam non rarò exsudant sanguinem occisorum corpora, & non sudaret corpus Dominicum, in medio perfidi sui interemptoris positum? conturbatus est Iesus & infremuit ad Judæ præsentiam, & non fremeret in medio scelerati neo-Judæ constitutus? ruptum est cor Iesu in cruce præ mortis angustia, & non rumperetur in corde sui crucifixoris constitutum & angustatum.

Quoties altari propinquat sacrilegus conviva, audio clamatis ex tabernaculo vocem: *Ecce apropinquat hora & Filius hominis tradetur in manus peccatorum*. Ego quidem *sol Justitiæ* vellem te homo recreare, quia fanitas in pennis meis, sed tu cum Aquila non sis sed noctua, idcirco culpâ tuâ excœcabere, non illuminaberis. *Aquilas solis radius recreat, noctuas excœcat*. ita S. Chrysostomus. O noctuæ latentem Majestatem non videtis, omnia videntem non attenditis, justum vindicem non timetis? ego quidem *panis vitæ* sum, qui de cœlo descendi, & veni, ut vitam habeas, sed tu accipiter, non homo es. *Panis hic alit hominem, accipitrem necat*. ita Augustinus. O rapaces violenti accipitres, accipitis culpâ vestrâ panem gehennæ, non salutis. Ego quidem *unguentum sum in vitam*, oleum effusum nomen meum, myrrha & gutta & casia à vestimentis meis, balsamum non mistum odor meus, sed vos scarabæi non columbæ estis, *odor balsami columbis est in vitam, scarabæis in mortem*; ita Gregorius Nyssenus. O Scarabæi ex inveteratis scelerum sordibus, exite & syn-

§. 6.
Affectus &
verba Christi
ad sacrilegum
com-
municatorem.

ceræ

cerae beneficio poenitentiae in columbas transite. si qua est anima, quae transire non vult, & pascha cum Iesu celebrare renuit, huic ego aeternum vale cum Celada facio pag. 7. in Esther. Vale anima de sobrio convivio ebria, vale adultera, vale detestabilis, impia, terque quaterque infelix, te flamma expectat

aeterna te horrendae jam tartari fauces arripiunt, te infernarum fornacum claustra in aeternum jam coercent, ustulant, & cruciant, vale!

* * *
* * *
*



PHILIPPICA XXXVIII.

In murmurones.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Murmurabant. Lucæ. 15. v. 2

§. I.
Promissio ad murmurum sunt subditi, sed damnatio.



Vod Salvatori nostro ab eo tempore, quo constitutus est Rex à Patre aeterno super Sion montem sanctum ejus, prædicans

præceptum eius, toto videlicet prædicationis & regiminis sui triennio accidit, ut murmurarent non tantum Pharisei & scribæ, sed vilissimæ quoque fœcis homuli, contra quos dicere Christum oportuit Jo. 6. nolite murmurare; idem hodieque poenè omnibus Magistratibus contingit, ut quidquid agant, statuunt, imperent, infano murmure pleraque eorum dicta, facta, omiffa excipiantur. Si hic vel iste ad senatum, aut è senatu ad consulatum evehatur, mox murmur in populo, quale in Israëlitico contra Moyfen excitavere Core, Datan, Abiron, quodd Aaroni summum Sacerdotium contulisset. Verum ut primipili hi murmurones eò diutius protrahere, absque audientium tamen molestia, murmur possent, à terra

absorpti vivi descenderunt in infernum, ubi sequaces suos præstolantur. Si exactiones novæ vel onera imponantur, murmur ocyus exurgit longè molestius, quàm stridula in curru rotæ, quo equidem aures Dei gravissimè lædantur. hinc illæ plagæ Israëlitarum in deserto quasi dolentium præ labore. quod cum audisset Dominus, iratus est, & sicut ex rota non inuncta & stridula ignis facile excitatur, ita refractariorum murmur ignem furoris divini accendit; unde sacer Chronologus adjungit: quod cum audisset Dominus, iratus est, & accensus in eo ignis Domini & devoravit extremam partem castrorum. timeat ignem, qui amat stridorem. Si deniq; leges statuuntur novæ, aut expensæ in commune bonum erogantur, repetitur mox illud: ut quid perditio hæc? verum ex ipsa voce avis agnoscitur, & novus Judas deprehenditur, fur & proditor, bono privato, non publico studiosus. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. quid sequitur? & sibi damnationem acqui-

Num. 11.

Num. 16.